

INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLXXVIII

AB DIE XVI M. APRILIS

PUBLICAE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

ANALECTA PLAUTINA

PARTEM SECUNDAM

F. V. FRITZSCHII

PRAEMIST.



TPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

LECTIONUM INDEX

ACADEMIA ROSTOCKENSIS

INSTITUTIONIS ACADEMICA

ANNO DOMINI MDCCCXXXIII

EDITIONE SECUNDA

ACADEMIA ROSTOCKENSIS

INSTITUTIONIS ACADEMICA

ANNO DOMINI MDCCCXXXIII

EDITIONE SECUNDA



Trinummum fabulam ab se recensitam F. Ritscheliuſ bis edidit, primum annis abhinc undetriginta et iterum ante hos ſex annos, quum interim in paranda nova recensione multum operae collocasset. Nam in literis nostris ille veri investigator G. Hermannii exemplum ſecutus aliis ſolebat ſatisfacere omnibus, ſibi ipſe nunquam ſatisfaciebat. Ceterum nobis quidem in duabus de Trinummo prolutionibus academicis, quae a. h. s. II et LXI promulgatae ſunt, priore tantum Ritschelii editione uti licuit. Quo lubentius nunc placet eodem reverti, praesertim quum altera huius critici recensio largam ſuppeditet diſſerendi materiem. Nunc ad rem ipſam veniamus. Prologi igitur v. 15 ,dedi ei meam gratam, (ſc. Inopiam) quicum aetatem exigit' olim (De Trinummo p. 3) correxi: ,d. e. m. g., quicum egeſtatem exigit' idque aliis ut ipſi Fleckeiſeno probavi, ratus ab inopia egeſtatem non differre. Quod Ritscheliuſ oppoſuit, hac ipſa de cauſa mire juvenem dici ,egeſtatem cum Inopia exigere': male illud ,quicum' acceperit, quod potius denotat ,qua adjutrice' ut ex v. 13 adparet, neque eorum memor fuit, quae ego in Quaestt. Lucian. p. 4 ſq. collegi partim velut Arist. Plut. v. 437 nostro verſui ſimillima. Denique Vollbehri ſupplemento ,quicum [una] aetatem' l. l. oſtendi non una tolli vitium ſententiae. V. 20. Ambroſiani ſcriptura ,vos hoc', quam antea receperat, improbata Ritscheliuſ jure rediit ad Palatinos et ad vulgatam ,hoc vos', i. e. ,hoc nomen, quod modo diximus, Trinummi'. At ,vos hoc' vim habet nimiam non ſine inepta oppoſitione, h. e. ,hoc ipſum nomen, non alterum'. Neque enim verendum erat, ne quis priſcum nomen ,Thesauri' a Philemone inditum reſciceret. V. 42 Libri ,quam primum poſſim'. Lambini conjecturam ,quam primum poſſit' R. in ſecunda demum editione ſuo jure ſuſcepit. Alterum ambigue dictum ejus eſſe poſteſt, qui uxorem velit trucidare, id quod Callicli haudquaquam in mentem venit. Me auctore (De Trinummo p. 3), qui Plauto illud vindicavi: ,quoja hic vox prope me ſonat?' R. in ſecunda librorum lectionem ,vox prope me' bene reſtituit, quum in proeſodo Hermannſ duce ,prope me vox' edidiſſet. Nam haec conjectura, quae fortasſe loco Rudentiſ I, 4, 10 v. 229 nititur, genere toto non eſt neceſſaria. V. 48. Ego l. l. p. 3 cum Lomano Ritschelioque non ſolum conſenſi, ſed ipſe addidi nova argumenta. Inprimis judicavi Plauti certo hunc verſum fuiſſe ,o amice ſalve. M. et tu edepol ſalve, Callicles' idque et rem ipſam monſtrare et uſum docere comicorum et quod ad glosſemata ſpectet, fieri poſſe ut dumviri illi plane verum viderint. Omittere tamen verba debebam extrema haec: ,poſteſt etiam fieri ut in verbis ,atque aequalis Megaronides' alius lateat Plauti verſus'. Haec ſola verba amicus in ſecunda ed. p. 12 carpit neque injuria carperet, ſi modo addidiſſet, me de ſumma re et loco univerſo veriſſime ſtatuiſſe. V. 72—75 ipſe poeta v. 77 in hiſ profitetur jocuſum quoddam acumen ,dicti' ineſſe, quod niſi recte inventum fuerit, in reſtitutione loci et interpolati et corrupti fruſtra deſudabitur. Νόσος et νόσιν de vitioſitate a graecis ſaepe, minus

crebro latine ,aegrotatio, aegrotus, aegrotare', rarius etiam ,morbus' usurpantur, quo tamen Plautus etiam supra v. 28 et Cicero in D. Tuscul. IV, 13 sic usi sunt. Quumque v. 75 ,morbus' significet (ut apud graecos saepe νόσος) ,taedium', hac ipsa ambiguitate patet lusum loci totius contineri. Vulgo autem legitur: ,nam si in te aegrotant artes antiquae tuae, | sin immutare vis ingenium moribus, | aut si demutant mores ingenium tuum, | neque eos antiquos servas ast captas novos, | omnibus amicis morbum' —. Secundum versum ,sin — moribus' Ambrosiani auctoritate optime delevit Ritschelius idemque in Parergis p. 514 sqq. etiam quartum ,neque — novos' recte notavit utpote subditivum. Restat tertius versus: ,aut si demutant mores ingenium tuum'. Hunc libri omnes servant etiam A teste Ritschelio in Parergis p. 514, qui eum omnium criticorum exemplo ibidem p. 515 et in proecdosi ipse quoque tuitus est. Idem tamen postea in ed. altera p. 15 hunc quoque versum ausus est ejicere. Quo facto omne perit ,dictorum' acumen, quod in ambiguitate ,morbi' vocis totum vertitur. Tum quod ,artes' solae per se positae latine ,malas artes' designant, ne intelligi quidem sic possunt ,artes antiquae tuae', sed pro dicto laudabili existit merum aenigma. Immo corruptio versus sananda erat et ,demutat morbus' pro verbis ,demutant mores' corrigendum. Ita enim Plautus scripserat verbotenus: ,nam si in te aegrotant artes antiquae tuae, | aut si demutat morbus ingenium tuum, | omnibus amicis morbum tu incuties gravem —'. Hoc est: ,nam si antiqua probitas in te vacillat, aut si vitiositas plane mutat ingenium tuum, omnibus amicis summo eris taedio'. Vulgatam autem hodie ego quoque, uti Bergkii ab duplici derivo recensione. Nam malus corrector pro versibus primo et tertio quos delebat ita videtur scribi voluisse: ,nam si immutare vis ingenium moribus, | neque tuos antiquos servas sed captas novos —'. Quod etiam Fleckeisenus in edit. sua vidit, meis emendationibus (De Trin. p. 4) ,tuos — sed' in fidem receptis. Sed haec recensio utcunque falsa, antiqua tamen et jam codici B communis aperte hominis fuit ad joca bene capienda paullo durioris. V. 91—93. Palatini ,esse amicos' exhibent, solus autem A. ,amicos esse', quem quum R. in proecdosi secutus esset, in ed. secunda me quoque (De Trin. p. 4) auctore ad Palatinos bene rediit. V. 92 ,non possum' Palatini contra metrum, quod vitium R. in proecdosi persanavit recepto ,nequeo' e libri A vestigiis. V. 93 recte Pareus ,pervenant' pro eo quod in B est ,pervenat'. Hoc est: ,sunt quos scio esse amicos; sunt quos suspicor; | sunt quorum ingenia atque animos nequeo noscere, | ad amici partem an ad inimici perveniant; | sed tu e. a. c. m. e. c.' Ita enim (excepto uno illo ,nequeo' v. 92) omnes fere scripserant editores ante R. neque hoc in l. obhaeserant. Tot igitur viris summis adsensi et ego (De Trin. p. 4) et Bergkii hunc l. justa explicatione adhibita sanum esse neque ab Ritschelio in Parergis p. 517—522 ullo pacto mutandum fuisse tam breviter diximus, ut hujus sententiae mihi nunc ratio reddenda sit, ne tali critico videar sine causa repugnasse. Primum R. (p. 517) v. 93 dictione ,insolita' obfenditur, quod unum ex parte concedo. Nam multo saepius legas ,in beneficii loco numerare' (Cic. ad Fam. II, 6) quam ,in parte beneficii'. At Plautus quum ipse fuit semigraecus, tum vertit comoediam graecam. Ita hic in Philemonis archetypo fuerat nota locutio ἐν τινος μέρει, tali fere versu ,πότερον ἐν ἐχθροῦ ζῶσιν ἢ φίλου μέρει', cui similia sunt haec Alexidis ap. Athen. X p. 449, d: μὲν ἐν ἀνθρώπου μέρει μὴ ἐν θεοῦ ζῆν. Quod autem R. p. 519 de singularis numeri ,amici' queritur usu inaudito, non cogitavit singularem prope necessarium esse, pluralem autem quem expetit paene inaudito. Vide

mihi Demosthenem 23, 56: τοὺς ἐχθρὰ ποιῶντας ἐν ἐχθροῦ μέρει κολάζειν et plurima hujusmodi ap. Taylorum ad Demosth. T. IV p. 23 ed. Schaef.*). Sed quum R. p. 518 etiam ab sententia loci aberrasset, ego p. 4 paucis dixi, senem interrogatum habeatne amicum aut familiarem respondere esse sibi certos amicos, esse familiares, esse falsos amicos, esse unum amicum certissimum. Quae genera sic dici graece possunt, ὁ ἀληθὴς φίλος, ὁ οἰκεῖος, ὁ λυκοφίλιος, ὁ πιστότατος φίλος. Egregie autem insidiosi amici, qui amorem fingunt, odium fronte occultant, amico opponuntur certissimo. At Ritscheli in proecdosi scripsit ‚sunt quos suspicor, | set quorum‘ — parum latine pro eo quod est, quorum tamen —, et v. 93 quasi adulterinum inclusit. In altera vero id quod jam in Parergis p. 521 se ostenderat facturum esse, duo versus 92 et 93 a Plauto abjudicatos ejecit invenitque unum tamen, qui id quoque probare auderet Geppertum p. 12 et p. 132 ed. sec., postremo diserte addidit, Bergkium et me Plauto defendendo ‚nihil egisse‘. Tanta vis est erroris, ut ingenium humanum saepe ab opinione praeconcepta divelli nequeat. Recte enim p. 4 dixeram, locum sanum non critici temeritate potius corrumpi debere, quam interpretis solertia bene explicari. V. 96 sq: ‚scio—postulas‘. Hujus loci certa restitutio nondum inventa est. V. 125—129 dixi olim (de Trin. p. 4), v. 127 pro ‚dedistin‘ cum Camerario ‚dedisti‘ scribendum esse et v. 129 pro ‚dedistine‘ ipse correxi ‚dedisti‘: hoc etiam tum solum dixi, nihil praeterea. Respondit mihi R., ‚dedistin‘ in v. 127 illatum esse e v. 129, cui haec adscripsit verbotenius: ‚dedisti‘ Fritzschi parum considerate, ut ante eum Reizius(**). Immo Ritscheli non vidit et in v. 127 et 129 ‚dedistin‘ male illatum esse e v. 124: ‚emistin‘. Qui plane mecum sentiret, si id quod non jam reticeo, prius addidissem. Nempe v. 128 ‚edepol—malae‘ ante v. 127 ‚dedisti—piget‘ transponi debet hoc ordine: ‚Ca. emi atque argentum dedi, | minas quadraginta, adulescenti ipsi in manum. | Me. edepol fide adulescentem mandatum malae. | dedisti argentum? Ca. factum, neque facti piget. | Me. dedisti hoc facto ei gladium, qui se occideret‘. Hoc versuum ordine plane opus est, quum prius ‚adulescenti ipsi‘ et ‚adulescentem‘ alterumque ‚dedisti—factum—facti‘ et ‚dedisti hoc facto‘ haec, inquam, membra bina tam arcte cohaereant. Senex igitur: ‚argento dato, inquit, gladium ei dedisti‘, adludens ad proverbium graecum μὴ παιδὶ μάχαιραν h. e. μὴ παιδὶ πλοῦτον ut bene Plutarchus in Stobaei Flor. 43, 136. Interrogationi autem nunc quidem eo minus loci est, quod continuo sequitur interrogatio rhetorica. V. 130 ‚secutus est‘ BCD, secus est EbFHZ et vulgo, ‚sequius est‘ Rittershusius et qui ‚sectiust‘ Ritscheli. Ego ut antea (De Trin. p. 4) retineo vulgatam: ‚quid secus est aut quid interest dare te in manus —‘. H. e.: ‚quid aliud est aut quantulum interest —‘? Similiter Cic. ad Fam. IV, 9 § 2: ‚quod non multo secus fieret, si is rem p. teneret —‘. At ‚sequius (sectius)‘ h. l. vix latine dici potuisse arbitror. V. 147. Callicli in libris continuatur ‚nobis et‘ (sic) vitiose. Emendationem a Bergkio qui: ‚Me.

*) Apud seriores pluralem quoque invenias, ut in Appiano Bell. Civil. I, 34 fin. Denique quod Tullianum supra posui, ‚in gratiae loco numerare‘, id ex attico ἐν χάριτος τάξει fluxisse videtur, de qua dictione Schaeferus ad Demosth. T. V p. 750 exposuit. Et hujus genetivi item singularis numerus ἐν ἐχθροῦ τάξει (potius sic quam ἐχθρῶν) legitimus est.

**) Nunquam ego vidi emendationes Reizianas, quas Ernestianae edit. margini adscriptas M. Hauptius post Hermanni mortem misit Ritschelio. Ita nunc demum disco in meam correctionem jam Reizium olim incidisse. Enimvero Reizius ille nihil unquam egit ‚parum considerate‘.

nemo hic est. Ca. quaeso' voluerat, bene affectam Ritscheliu in ed. sec. optime perfecit hoc modo: „Me. non est. Ca. set quaeso —“. Nego tamen post v. 147 quidquam excidisse. Senex enim, qui et v. 147 et v. 152 dixit adesse neminem, frigide id loco inculcaret tertio. Nullum autem esse arbitrum, post v. 147 sine ulla voce poterat gestu indicare, veluti renuendo, sicut inter versus exstat ἀνανέουσι parepigraphie in Arist. Acharn. post v. 113. V. 149. R., qui hic in proecdosi erraverat, in ed. sec. rediit in viam idque factum esse suasu meo ingenue professus est. Haec autem (De Trin. p. 4) scripseram: „quoniam hinc est profectus peregre Charmides“ ita codices. Unice probo Scaligeri emendationem, „quoniam hinc est profecturus peregre Charmides“ Cf. ejusdem scenae v. 75 (v. 112)'. V. 158 „certe illius filiae, | quae mihi mandatast, habeo dotem unde dem.“ Correxeram (De Trin. p. 4): „c. i. f. q. m. m. e. habeo dotem ei unde dem“ cum Pareo ipsoque olim Ritschelio in Parerg. q. 526, syntaxi Plautina (ut infra v. 328), quae etiam Hermannus et Fleckeisenus probata est. Sui calumniatorem hic quoque dixeris Ritschelium, qui malas postea conjecturas addiderit. Neque enim plus uno potest verum esse. V. 166. „dum ego“ B, „dum sum ego“ caeteri libri. Quod Ritscheliu quum in proecdosi servasset, in altera optime dedit cum Kochio „dum ego sum“ demonstrata etiam hujus vitii origine. De prosodia Hermannus in El. D. Metr. p. 61 sq. tirones conferant. V. 169 sq. libri: „adesurivit magis et inhiavit acrius | lupus, observavit“ —. R. in utraque edit. deleuit „magis“, in altera autem interductum quoque sic mutavit: a. e. inhiavit acrius. | Lupus observavit —, conatu non feliciore, quam si proverbium ipsum sic interpungas, λύκος. ἔχανεν (scil. ὁ δ᾽εἶνα). At neque istuc „et“ ferri potest, quod bene Hermannus deleuit, et „inhiavit“ natum est e v. 168, ubi legitur „inscribit“. Hinc ipsam Plauti manum sic facile restituas: „adesurivit magis, hiavit acrius | lupus, observavit —“. Primum iste esuriverat, quum rem paternam confringeret (v. 108), magis adesurivit, quum aedes quoque paternas venderet (v. 168). Quae lupi fames etiam alibi pars est ipsius proverbii, ut in Babrio Fab. XVI, 6 de vero lupo: αὐτὸς δὲ πεινῶν καὶ λύκος χανῶν ὄντως | ἀπῆλθε —. Apte autem et Plautus et sine dubio Philemon ad hunc adolescentem retulerunt proverbium, quod Photio p. 235, 10 aliisque testibus dici solebat, ἐπὶ τῶν ἐλπίζόντων μὲν χρηματισεῖσθαι, διαμαρτόντων δὲ τῆς ἐλπίδος, quam explicationem ego jam olim jure comprobavi. Proverbium ipsum hoc est: λύκος ἔχανεν sive λύκος χανῶν, quod in graecorum comoedia haud infrequens fuisse ad Arist. Thesmoph. p. 620 ostendimus. Aliorum locos scriptorum (non omnes tamen) conlegerunt interpretes ad Diogenian. VI. 20 p. 273 L. V. 183. „haec sunt seu recte“ Palatini, „haec sunt si recte“ A. Ritscheliu in ed. sec. rejecta et sua conjectura in proecdosi p. 24 et mea De Trin. p. 4 Ambrosianum plane secutus Bergkii monitu sic interpunxit: „Haec sunt. si recte —“. Adsentior. V. 185 et v. 186. Neuter horum versuum adhuc sat bene emendari potuit. V. 187. E Philemonis Thesaurio unum solum fragmentum addito fabulae nomine servavit de voce ὀψάριον agens Athenaeus IX p. 385, e: οὐκ ἔστ' ἀληθὲς παραλογίζασθ', οὐδ' ἔχειν ὀψάρια χρηστά. Et metrica res et grammatica poscit, ut duce Bentlejo (Emend. Men. p. 113) παραλογίζεσθ' pro παραλογίσασθ' reponatur. Tum Hermannus (Praef. ad Trin. p. XXVI) recte vidit haec fuisse interrogantis, etsi de conjecturis ejusdem una tantum ἀληθῶς pro ἀληθές prope ad verum accedit. Nobis ita videtur scribendum esse: οὐκ ἔστ' ἐναλήθως παραλογίζεσθ' οὐδ' ἔχειν | ὀψάρια χρηστά; Servi haec verba fuerant, qui indignabundus ex altero quaesierat: „non licet apte

ad persuadendum decipere, neque habere pisciculos bonos? Nemo nescit voces πιθανός καὶ πανοῦργος saepe conjunctas esse. Ceterum ut πιθανός ita ἐναλγής in malam partem accipitur etiam ab Luciano in Verr. Hist. I, 2: ψεύσματα ποικίλα πιθανός τε καὶ ἐναλγής ἐξεννόχουμεν. Et hunc quidem versum Plautus ipsum non fecit latinum, proxima tamen ita vertit, ut sedes loci etiam nunc monstrari queat. Comparavit autem Hermannus l. l. Plauti versum 472 (sive 473 ed. R.). At servi potius verba e proximo sermone conferenda erant v. 476—478: ,et quod illi placeat, praeripiam — apud mensam decet. Omninoque in illo loco edacis servi sunt, quae graecam comoediam vel invito in mentem redigant, exempli causa v. 475: ,edim atque ambabus malis expletis vorem', quibus simillima sunt haec Aristophanea in Pace v. 1274 (sive 1309): ἀλλ' ἀνδρικῶς ἐμβάλλετον, | καὶ σμώχετ' ἀμφοῖν ταῖν γνάθοισιν. Ex aliis Philemonis locis Hermannus l. l. p. XXVI sqq. quinque fragmenta putabat fortassis ad Thesaurum pertinuisse idque illi de tribus locis Meinekius p. 367 ed I, sive IV p. 12 ed. II sive p. 827 ed. III credidit. Ego tamen si comoediam graecam probe perspectam habeo, ex istis locis quinque ne unum quidem ad hanc Philemonis fabulam ulla veri specie referri posse quovis pig-nore contenderim. Nunc ad v. 187 transeo. Hic quum ,Pausa', quod pro nihilo est, Palatini exhibeant, Παῦσαι, quod ex A primum eruit defenditque Studemundus, ab Ritschelio in ed. sec. jure comprobatum est. Παῦσαι pro παῦς Philemonis jam aetate usu receptum erat, quae formae quomodo apud atticos differant, monstrat in Avibus v. 889 Aristophanes. Sed operam luserit, qui praeter unum παῦσαι ex h. l. alia reddere Philemoni conetur, quum haec graece non uno modo dici potuerint, veluti sic: παῦσαι· [τὸ νικᾷς τὸν ἐπιτιμητὴν πολὺ, | τὸ στόμ' ἐπιβύσας κοῦδέν ἐστιν, ὃ τι λέγω.] Ceterum pluribus Trinummi locis Plautus semigraecum exhibuit, primum v. 419, ubi οἷχεται item solus A tuetur literis scriptum graecis, quum et hic Palatini dent ,oechete' et Ciceronis quidam codd. in Pisonem c. 25. Eodem pertinet v. 705, ubi Palatini more suo habent ,palin', cujus loco πάλιν Gruterus restituit. Qui Aristophanem in Eccl. v. 213 contulerit, forsitan suspicetur verba ,euge euge, Lysiteles, πάλιν' omnia totidem literis in ipso Philemonis l. exstitisse: εὖγ' εὖγε, Λυσίτελες, πάλιν. At quum Romanorum comici nomina propria saepe mutant, ne hoc quidem pro certo habuerim. Denique v. 1025, ubi in libris est ,apothecam', metrum non Camerari conjecturam ,epithecam' sed Scaligeri ἐπιθήκην flagitat, quae ab Ritschelio in ed. sec. jure adscita est*). V. 200 Palatini, ,neque mendaciloquius neque argutum magis', A autem ,neque mendaciloquius neque adeo argutum magis'. Hinc corrigendum esse: ,neque mendaciloquum, neque adeo argutum magis' (h. e. neque magis mendaciloquum) olim docui De Trin. p. 5 idque Ritschelio in ed. sec. probavi. Ipse tamen versus et vi sententiae et linguae usu adeo munitus est, ut ratiunculae, ob quas amico meo coepit suspectus esse, omnino nihil valeant. His omnibus, quae ad singulos quosdam poetae locos adtinent, unam rem puto addendam esse, quae in Plauto recte et ratione emendando mihi saepe videtur momentum facere. Cujus poëtae restituendi firma fundamenta nunc

*) Contra v. 669, ubi bene Palatini ,moros' tenent, inepte solus A graecis literis exhibet ΜΩΡΩC. Dicitur autem amor ,mores' hominum efficere ,moros et morosos' suavi alliteratione. Qua uti in archetypo non licuit, licuit ibidem dicere μώρους. Vide ipsius Philemonis delicias Euripidem in Troad. v. 983: τὰ μῶρα γὰρ πάντ' ἐστὶν Ἀφροδίτῃ βροτοῖς, | καὶ τοῦνομ' ὀρθῶς ἀφροσύνης ἀρχεῖ θεᾶς. Hinc observante Kustero ad Arist. Nub. v. 417 attici τὰ ἀνόητα usurpant de nimio Veneris appetitu.

demum ab Ritschelio jacta sunt tum metrorum et prosodiae indagatione tum codicum auxilio antiquorum. Itaque hujus critici merita quantopere ego quoque admirer, alta voce post ejus mortem testatum facio, antea ipso testatus sum silentio. Nam quum juvenis Plauto magnam dare operam coepissem deque eo varias edidissem scriptiones: ut primum Ambrosianus ab Ritschelio excussus est necdum ejus usus mihi patuit, subito obmutui semper de Plauto taciturus, si Ritschelius (uti putabam) mihi superstes fuisset. Sic enim cogitabam: Plautum expoliet Ritschelius. Nunc quoniam ille nobis acerbo fato ereptus est, veracissimi critici vestigiis sic insistamus, ut nostra quoque opella ad eam, quae in literis sola regnat, ad veritatem nova quaedam fiat accessio. Unum illud habeo propositum nihilque minus volo, quam in amicitia usque adhuc culta unquam vacillare. Sed ad rem transeo. Quamvis Quintilianus (J. O. X, 100) Romanos dixisset in comoedia maxime claudicare et illam venerem solis concessam esse Atticis: tamen accidit, ut W. A. Becker (de com. rom. m. Pl. quaestiones p. 82 sqq.) romanae comoediae se palam ferret vindicem, adsentiente partim Ladevigio meo (Kanon des Volcatius Sedigitus p. 36 sqq.). Uterque id egit, ut plurimas res in comoedia latina mutatas esse ostenderet, in quo ille ab romana ipsa, hic a Graecorum comoedia profectus est. Ac sane jam Donatus ad Phormionem I, 2, 41 Terentium observavit aliquid mutasse, ne externis moribus spectatorem romanum offenderet. Neque diffiteor, talia quoque cognitu perutilia esse, etsi in Plauto certe loci ab ipso ex tempore fusi mutatique lectorem vix fallere possunt*). Manet tamen sic quoque semperque manebit, et Plauti comoedias et Terenti ad unam omnes e Graecorum comoediis conversas atque expressas esse. Et Terentius quidem, nimium fidus interpres et ingenio vir mediocri saepe nos frigore ferit, languore enecat et Menandrum videtur ex ipso paene sustulisse Menandro. Contra ea Plautus, qui in vertendo fuit liberior, quum major poëta esset sciretque ipse jocos movere, venerem illam atticorum usque eo adsecutus est, ut nobis haud raro Menandrum ipsum, non interpretem ejus latinum legere videamur. Jam Ritschelius quantum et Beckero et Ladevigio tribuerit, primum in Parergis p. 277 sq., tum vero in ipsa Plauti editione satis superque declaravit. Nam etsi largitus est quum alibi tum ad Trinumm. v. 291 ed. sec. ad recte explicandum Plautum aliquid profici graecis scriptoribus adhibitis, quos in hoc quidem genere jam olim alii interpretes cum Plauto compararant: tamen ad emendandum Plautum suum Graecorum comoedia non usus est nisi perraro. Et sicut vana quaeque oderat, fortasse verebatur, ne quis modum excederet diceretque ex uno Plauto totas scaenas graecae comoediae retro versas posse in integrum nestitui**). Tamen Ritschelius, si aliter sensisset multum in his etiam locis effecturum fuisse vel praeclara disputatio de graeco exemplo Bacchidum in Parerg. p. 405 sqq. argumento est. Equidem olim indolui, quod Plautus etiam tum adeo corruptus jaceret et quod tam eximia criticae instrumenta, qualis est in Terentio Donati commentarius, omnia fere in Plauto nos deficerent. Quo minus ego quidquam, quod ad tantam rem bene gerendam pertineret, criticis putabam omittendum esse. Videbam autem multos locos exstare, qui nisi e

*) Non pauca loca archetypi graeci Plautus omisit, uti conligas e Terent. Adelph. Prol. v. 10. Sui autem juris saepe fuisse videtur in canticis, de qua re cum Christio (Metrik der Gr. und R. p. 447) consentio.

**) Terenti quidem aliquot loca retro conversa in graecos versus redigere ne summi quidem critici dubitarunt, ut Dobraeus, ut Cobetus et alii. Ceterum in Plauto hanc rem mihi fateor multo magis lubricam videri et ancipitem.

graecis scriptoribus et maxime ex poëtis comicis sanari nullo modo possint. Feliciter enim ceciderat, ut graeca comoedia olim illa paene incognita et nostro demum tempore bene inlustrata jam pateret omnibus. Itaque eis, quae de graecis fontibus Plauti (Rostochii a. 1845) ab me scribi coepta erant, permulta addere volueram, de Plauto e graecis fontibus emendando. Quodsi silentii impatiens, stimulante juvenili ardore illa, quae omnes Plauti fabulas complectebantur perfecissem atque divulgassem: profecto mihi videor de Plauti emendatione non male meriturus fuisse. Nam res ipsa plerisque in locis tam certa est tamque perspicua, ut nullus dubitationi locus relinquatur. Hodie autem plurima, quae in hunc censum veniunt, ab aliis criticis exspecto, qui hac una ratione saepe Plauto poterunt salutem adferre. Nonnulla tamen ex hoc genere et supra tetigi et occasione data adhuc tractabo. Nunc autem, quoniam hic paucis defungendum est, duo tantum Trinummi locos adiciam, in quorum utroque Ritscheli non plane erravit sed verum ex parte adsecutus est. Principio v. 425 vulgatur: ‚trapezitae mille drachumarum Olympicum,‘ quod Ritscheli in proecdosi retinuit et in Proleg. p. LXXXIX pro certo habuit. Cui ego (De Trin. p. 7 sq.) haec ad verbum opposui. ‚At id quidem corruptum esse jam Camerarius senserat. Verissime enim Pii codices antiqui (?) pro eo exhibent ‚olympico.‘ Nominis Ὀλυμπικός exempla e Plutarcho dedit Wyttenbachius D. S. N. V. p. 19. Adde primum Diog. Laert. V, 62. Tum in scholiis ad Acharn. v. 1149 pro nomine Ὀλυμπικός corrige Ὀλυμπικός e Suida s. Ἀντίμαχος et s. Ψεῦδος. Unum idemque nomen fuit Ὀλυμπικός et Ὀλύμπιος, ita tamen ut posterior forma proprie fuerit dorica: de quo optime expositum est ab grammatico in Etym. M. p. 582, 39, tum a Koenio ad Gregor. Cor. p. 290 sqq. et Lobeckio in Pathol. p. 342. Tamen forma Ὀλύμπιος nonnunquam ipsi attici utuntur, veluti Dioxippus comicus ap. Athen. XI p. 502, d et Demosthenes in Eubul. p. 38, 7 B. Sed quum Etymologus l. l. utramque nominis formam diserte agnoscat, non nostri res arbitrii est, sed codicum auctoritas sequenda est. Ceterum h. l. dativum ‚Olympico‘ modo probavit etiam Bergk (in Annal. Ant. Lit. a. 1848 fasc. XII No. 144 p. 1146): qui etsi nomen Ὀλυμπικός ex Inscriptione ipse adfert, putat tamen apud Plautum etiam Olympicho scribi posse. Qua nominis forma quum Dioxippus comicus Philemoni aequalis aperte usus sit, ego quoque hodie in medio relinquam, utrum Olympico Plautus scripserit an Olympicho, quorum alterutro certe opus est. Sententiam mihi et Bergkio communem Ritscheli constanter laudavit quum alibi tum in edit. altera p. 61, ubi optime docet Pii ‚codices antiquos‘ nihil aliud esse nisi Georgii Vallae conjecturam Pio mox probatam. Enimvero Plauti versus ne sic quidem persanatus est. Male enim Bentlejus ad Ter. Heaut. III, 3, 40 (ubi ‚Olympicum‘ non correxit) vocem ‚drachuma‘ opinatus est recte dici posse prima syllaba producta, quem errorem Ritscheli in Opusc. II p. 470 satis refutavit. Sedem quoque vitii idem praef. Stich. p. XIX recte videtur invenisse, ubi ‚drachumarum‘ inter et ‚Olympicho‘ conjecit ‚olim‘ inserendum esse probante Fleckeiseno nostro. Ego ibidem ita suppleo: ‚trapezitae mille drachumarum [hinc] Olympicho, | quas de ratione dehibuisti, redditae hinc i. e. de minis XXXX (v. 420) redditae, uti dicitur ‚hinc petere‘ in Ter. Phorm. IV, 2, 14. De aliis conjecturis Gepperti p. 157 ipsiusque Ritschelii in Opusc. II p. 529 sive in ed. sec. p. 60 tacere malo vereorque, ne quis postremo conjiciat ‚trapezitae mille drachumarum Olympicum‘ —. Restat alter locus Trinummi v. 928: ‚Ch. — set ipse ubist? Syc. pol illum reliqui ad Rhadamantem in Cecropia insula.‘ Hic plurimi libri

‚cecropia‘, F. tamen ‚ceropia‘ et vetus B ‚cecropio‘ [sic cum puncto fortassis illo non fortuito, sed signo corruptelae potius quam literae evanidae, ut ‚cecropio(m)‘]. Metri vitium augetur Meursi conjectura ‚in Cercopia insula‘. Quae tamen, si sententiam respicias, magis ferri potest quam Guyeti commentum, qui scribi voluit ‚in Cercopia‘ et vocem ‚insula‘ solita temeritate eiecit. Invenit tamen, et qui id totus probaret Geppertum p. 188 et p. 80, (ubi ‚in Cecropia‘ et ‚in Cecropien‘ edidit multiplici vitio, fortasse tamen invitus) et qui haud improbaret ipsum Ritschelium p. 125 ed. sec. et in Praefat. p. LXVIII sq. Ac sane quis non sentiat, suaves numeros e tali versu existere: ‚Ch. — sét ipse ubist? Sy. pol illúm reliqui ad Rhádamantem in Cercópiá‘, si modo ita licuerit scribere. Atqui non licet, sed ‚Cercopia‘ est loco portenti. Neque Κερκωπία unquam fuit graecum vocabulum, nec medius fidius ‚Cercopia‘ latinum. Quare ego olim adscita Hermanni conjectura ‚liqui‘ pro eo quod in libris est ‚reliqui‘ sic legi: ‚Ch. set ipse ubist? Syc. pol illum liqui ad Rhadamantem in Cercopum insula‘ caesura non optima, praeterquam quod illud ‚liqui‘ nimis obscuratum delitescit. Ita igitur si rescribi vix potest, sola relinquitur, quae vera esse possit, Bothii conjectura ‚ad Rhadamam‘ (pro illis ‚ad Rhadamantem‘), quam formam Ritscheli in utraque edit. quum recepit, tum magis quam ipse Bothius firmavit in Proleg. p. LXXXVII et Opusc. II p. 491 eamque Fleckeiseno probavit. Certiorem hancce formam ex incerta reddunt et numeri, qui sic demum Plauto digni evadunt et mea emendatio ‚in Cercopum insula‘, qua nihil esse potest evidentius. En tibi ipsam poëtae manum: Ch. — Séd ipse ubist? Sy. pol illúm reliqui ad Rhádamam in Cercopum insula‘. Accipe nunc rationes mythologicas, quae convelli nequeunt. In primis vide Harpocratonem s. Κέρκωψ p. 109 ed. B: Ξεναγόρας δὲ εἰς πιθήκους αὐτοῦς μεταβαλεῖν φησὶ καὶ τὰς Πιθηκούσας νήσους ἀπ’ αὐτῶν κληθῆναι. Prima Harpocratonis verba supplenda sunt e perantiquo scholio ad Lucian. p. 139 ed. Jac. hoc modo: Ξεναγόρας δὲ εἰς πιθήκους διὰ κακοήθειαν μεταβαλεῖν φησὶν ἐν τῇ περὶ νήσων. Idem scholium partim exstat in Crameri Anecd. Oxon. III p. 413. Adde Lobeckium in Aglaoph. p. 1302, qui Cercopas docet ob fraudem Jovi factam in simiarum formam versos et in insulas Pitheculas relegatos esse. Ab Lobeckio Preller (Gr. Mythologie II p. 231) suspensus est. Utriusque copiis adice Ovidi Metamorph. XIV v. 90—100. Ergo Pithecula rectissime dicitur ‚Cercopum insula‘. Deinde post hunc ipsum versum 928 Ritscheli in utraque editione optime vidit homoeoteleuti vitio aliquid (duo versus, uti putabat) intercidisse monentique obsecutus Fleckeisenus quoque ibidem signa posuit lacunae. Ego neque de sententia plane Ritschelio adsentior, neque duo versus sed unum tantummodo arbitror deesse. Quod autem R. in Praefat. p. LXIX ed. sec. se dixit ‚luisse‘, id juxta cadit in supplementum meum: nemo enim ne unius quidem versus singula verba potest praestare. Quae quum ita sint, versum 928 certo videor redintegrasse, verumtamen hunc solum, nihil praeterea. Adponam tamen etiam supplementum meum quantumvis dubium atque incertum. Denique ita scribo: ‚Ch. — Séd ipse ubist? Syc. pol illúm reliqui ad Rhádamam in Cercopum insula. Ch. [Súmne ego in Seleúcia, anne núnc in Cercopum insula?] | Quis homost me insipiéntior, qui ipse, égomet ubi sim, quaériter?“ Sed haec hactenus.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

- Dr. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim symbolice comparativam sive doctrinam ecclesiarum et sectarum secundum fontes symbolicos quinis diebus tradet h. XI; 2) privatim Pauli epistolas minores interpretabitur quinquies p. h. h. XII; 3) publice conversatorium exegeticum moderabitur binis horis definiendis.
- Dr. Joannes Bachmann, P. P. O., 1) privatim librum Jobi explicabit quinquies p. h. hora III; 2) privatim Vaticinia V. Ti. Messiana interpretabitur, die Jov. Merc., Mart., et Ven. hora IV; 3) publice historiam regnorum Judae et Israelis enarrabit binis p. h. scholis defin.; 4) privatissime sed gratis selecta capita Mischnae duce Geigero explicanda proponet, bis p. h. horis defin.; 5) publice in Seminario homileticas sodalium exercitationes moderabitur, die Lunae h. VI—VIII vesp.
- Dr. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim historiae ecclesiasticae partem secundam quinquies p. h. h. IX, 2) privatim historiam doctrinae protestantium quinquies p. h. h. X, 3) publice historiam dogmatum aetatis mediae die Mercurii h. VI et h. VII tradet et 4) publice in Seminario exercitationes catecheticas die Saturni h. XI et h. XII moderabitur.
- Dr. Ludovicus Schulze, P. P. O., 1) privatim vitam domini nostri Jesu Christi secundum quatuor evangelia quinquies p. h. hora VII—VIII enarrabit; 2) privatim theologiam biblicam universam quinquies p. h. hora VIII—IX docebit; 3) privatissime sed gratis exercitationes dogmaticas binis p. h. scholis die Jovis h. VI—VIII instituet.

In ordine juridico.

- Dr. Hugo Boehlau, P. P. O., h. t. Decanus, privatim 1) jus Germanicum privatum docebit quinquies h. XII; 2) jus mercatorium et cambiale exponet sexies h. X; 3) relatorium q. v. instituet binis p. h. horis c.
- Dr. Augustus Thon, P. P. O., 1) institutiones juris romani tradet quinquies p. h. h. c.; 2) historiam juris romani docebit quinquies p. h. hora XII; 3) practicum quod vocant civile instituet die Martis hh. V—VII.
- Dr. Siegfriedus Brie, P. P. O., 1) jus publicum Germanicum tradet quinis p. h. scholis h. XI; 2) jus ecclesiasticum docebit quinquies p. h. h. XII.
- Dr. Carolus Birkmeyer, P. P. O., 1) jus criminale Germanicum tradet septies p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris hora VIII, die Saturni hora VIII—X; 2) practicum quod vocant criminale instituet h. c.
- Dr. Franciscus Bernhöft, P. P. O., 1) jus hereditarium Romanum tradet diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris h. XI; 2) jus obligationum docebit eisdem diebus h. X; 3) de ordine judiciorum privatorum Romanorum disseret diebus Mercurii et Saturni h. X.

In ordine medico.

- Dr. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus nullas scholas habebit.
- Dr. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem ternis diebus h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret horis definiendis; 3) exercitationes practicas in clinico medico quinque diebus h. X moderabitur.
- Dr. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Jovis hora III—IV; 2) privatim physiologiae partem priorem (functiones vegetativas) quotidie hora IX—X docebit; 3) privatissime moderabitur exercitationes physiologicas bis per hebdomadem trinis horis.
- Dr. Guilielmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam ternis diebus horis IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—I^{1/2} moderabitur; 3) cursum operationum quae in arte ophthalmiatrica adhibentur horis definiendis reget.
- Dr. Fridericus Schatz, P. P. O., 1) de partu normali et enormi ter p. h. disseret hora IX; 2) operationes, quae in arte obstetricia adhibentur, ope corporum artificialium exercendas moderabitur bis p. h. hora VII; 3) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quinquies p. h. moderabitur hora VIII.
- Dr. Fridericus Sigm. Merkel, P. P. O., 1) anatomiae systematicae partem secundam (organa sensus, angiologiam et neurologiam) sexies p. h. h. XII—I docebit; 2) histologiam generalem una cum exercitationibus practicis quater p. h. h. X—XI moderabitur.
- Dr. Carolus Gaetgens, P. P. O., 1) privatim chemiam physiologicam quaternis diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. IV et 2) privatim pharmacognosim quaternis diebus horis definiendis docebit; 3) publice exercitationes chemicas et ex physiologia et ex pathologia in laboratorio ter horis definiendis moderabitur.
- Dr. Fridericus Trendelenburg, P. P. O., h. t. Decanus, 1) chirurgiam specialem ternis diebus docebit privatim; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico moderabitur d. Lun., Mercur., Veneris h. XI—XII, d. Mart., Jovis, Saturni h. XI et dimid.—I; 3) cursum operationum q. v. moderabitur h. definiendis.
- Dr. Albertus Thierfelder, P. P. O., 1) anatomiam pathologicam specialem quotidie hora VII docebit; 2) cursum anatomes et histologiae pathologicae demonstrativum diebus Lunae, Mercurii, Veneris hora III—V moderabitur.
- Dr. Guilielmus Brummerstaedt morbos mulierum tractabit ternis p. h. horis definiendis.
- Dr. Paulus Schiefferdecker 1) anatomiam topographicam cavi abdominis et pelvis nec non extremitatum tractabit bis p. h. privatim; 2) histogenesin (una cum exercitationibus practicis) docebit quater per hebdom. privatim.
- Dr. Julius Uffelman 1) morbos infantum quater per hebdomadem privatim tractabit; 2) hygienam quae spectat discentes et docentes semel per hebdom. publice medicae artis studiosis aliorumque ordinum commilitonibus offert; 3) de diaetetica bis per hebdomadem publice disseret.

In ordine philosophico.

- Dr. Franciscus Volemarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, privatim 1) ternis diebus h. XI Aristophanis Ranas interpretabitur; 2) binis diebus h. XI de metris Graecorum Romanorumque exponet; 3) Cicero-nis Verrinarum libros quartum et quintum explicabit horis definiendis; 4) publice exercitationes Seminarii philologici more consueto moderari perget.
- Dr. Joannes Roeper, P. P. O., 1) privatim botanicae generalem exponet demonstrationibus et exercitationibus illustrandam senis diebus h. XI—XII; 2) publice itinera botanica instituet die Saturni.
- Dr. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) ter p. hebdomadae hymnos Homericos interpretabitur; 2) ter p. h. Suetonii vitas Caesarum explicabit; 3) privatissime quater p. hebdomadae topographiam veteris Graeciae Pausania duce pertractabit.
- Dr. Joannes Bachmann, P. P. O., privatissime sed gratis selecta Mischnae capita duce Geigero explicanda proponet, binis p. h. scholis def.
- Dr. Hermannus Roesler, P. P. O., privatim tractabit 1) quinque diebus administrationem rei finanziariae et militaris hora IX; 2) statistice quinque diebus hora VIII.
- Dr. Fridericus Guilielmus Schirmacher, P. P. O., 1) privatim historiam saeculi XVII et XVIII narrabit quinque diebus h. XI; 2) privatim historiam reipublicae Romanae ab anno 133 ante Chr. nat. usque ad annum 14 post Chr. n. binis diebus; 3) publice exercitationibus historicis methodum historiae et disciplinas subsidiarias tradet binis diebus.
- Dr. Henricus de Stein, P. P. O., privatim 1) logicen et metaphysicen, quater p. h. hora III—IV diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris, 2) aesthetice horis IV—VI die Mercurii, 3) historiam philosophiae qualis recentioribus temporibus excolta est, quater p. h. h. IV—V diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris docebit.
- Dr. Reinholdus Bechstein, P. P. O., privatim 1) carmina Waltheri, qui dicitur „von der Vogelweide“ interpretabitur quater p. h. h. X—XI; 2) historiam literarum Provincialium tradet bis p. h. h. IX—X; 3) exercitationes seminarii germano-philologici moderari perget, in quo carmina illorum poetarum tractabuntur, qui auctoritatem Waltheri secuti sunt.
- Dr. Arminius Comes de Lippe, P. P. O., venia impetrata scholas nullas habebit.
- Dr. Oscar Jacobsen, P. P. O., h. t. Academiae Rector, 1) privatim chemiam anorganicam quinquies p. h. docebit; 2) privatim exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies p. h. moderabitur; 3) publice colloquia chemica bis per hebdomadam instituet.
- Dr. Hermannus Grenacher, P. P. O., h. t. Decanus, 1) morphologiae animalium partem alteram, systema et anatomiam comparatam animalium vertebratorum amplectentem quinquies p. h. privatim tractabit; 2) exercitationes zoologicas et zootomicas quotidianas instituet privatissime.
- Dr. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., privatim 1) physices experimentalis partem primam docebit quinquies p. h. hora VII; 2) exercitationes physices practicae instituet; 3) privatissime sed gratis colloquia physica moderabitur.

Dr. Richardus Foerster, P. P. O., privatim enarrabit 1) historiam litterarum Graecarum diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris hora VIII; 2) antiquitates Romanas imprimisque Pompeianas illustrabit iisdem diebus hora IX; 3) publice in societate philologa Sophoclis Oedipum Regem interpretandum proponet et scriptiones commilitonum recensebit die Mercurii hora V; 4) exercitationes archaeologicas moderabitur die Saturni hora V.

Dr. Fridericus Guilielmus Martinus Philippi, P. P. E., 1) privatim vaticinia prophetarum Hoseae, Joelis, Jonae, Habacuci ter p. h. explicabit; 2) privatim arabica Hamasae carmina ed. Freitag bis p. h. interpretabitur; 3) privatim chrestomathiam sanscriticam ed. O. Böhtlingk bis p. h. explicabit; 4) privatim grammaticam linguae chaldaicae simul cum interpretatione chald. V. T. partium bis p. h. tradet; 5) gratis societatem habebit grammaticam in qua interpretationi prophetarum Nahumi et Zephaniae bis p. h. praeerit.

Dr. Reinholdus Heinrich, P. P. E., privatim practicum agrario-chemico-physiologicum sexies p. h. reget.

Dr. Carolus Weinholtz 1) privatim artium liberalium qualitates diversas illustrabit; 2) colloquia ideistica offert.

Dr. Julius Robert privatim 1) quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) historiam litterarum franco-gallicarum docebit quater p. h.; 3) de variationibus linguae gallicae disseret quater p. h.

Dr. Felix Lindner 1) gratis capita selecta ex libro Bartschii „Chrestomatie de l'ancien francais“ explicabit bis p. h.; 2) gratis exercitationes linguae anglicae recentioris moderabitur semel p. hebdomadae.

Dr. Hermannus Kretschmar in cantu liturgico Seminarii catechetici et homiletici sodales exercebit.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis, **conclave iudiciiis academicis et secretarii** officii destinatum h. XI—XII quotidie patebit, **museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi copia facta est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales veluti gymnasticen publice profiteantur.

Summo academiae magistratu nunc fungitur

Oscar Jacobsen, Ph. Dr.

Praesidet ordini Theologorum **Guilielmus Dieckhoff**, Th. Dr.

Jurisconsultorum **Hugo Boehlau**, J. U. Dr.

Medicorum **Fridericus Trendelenburg**, M. Dr.

Philosophorum **Hermannus Grenacher**, Ph. Dr.